

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 98. (Neovidensis 1808. Nro. 97.)

*Secretum litterarum Commercium inter Pivora
et vita junctos*

Angelbrechto Kæmpfer in Elysiö.

Ex Mundo Sublunari.

Elysiüm-Meum.- Die Veneris 16. Dec. 1808. (Neov. 4. Dec. 1808)

Illustres clarique viri antiquis temporibus itinerationem seu medium ad perfectissimas rerum cognitiones pertingendi commendarunt. Profecto itineratio est schola, in qua diversitas aliarum plurium vivendi rationum discitur, qua nova documenta ex vasto hoc mundi Codice hauriuntur, qua consuetudines, affectiones, vigentem gustum, scientias & artes, Manufacturas, agriculturam, Commercium ad usum applicare licet, hoc mihi motivo fuit ex descriptionibus itinerariis lectionem desumere, legi, legique multa, & diversa.

Interim voluptati indulgebam veteres etiam Philosophos legendi; ut exterritus sum! legendo Strabonem: quemvis hominem iter suum describentem mendacem esse — Succenui.

Cogitabam apud me: ergo & bonus noster popularis multum diuque peregrinatus mendax fuit? — inquisivi opinionem culturarum na-

tionum in hoc argumento, reperi cum voluptate vestrae Dominationis Itinera dilecta Patriota! ab Anglis, Gallis, Italis, Hispanis traducta, & hodieum ceu certissimas descriptiones itinerales a peritis legi. Hic notabilis triumphus pro cara patria nostra id genus veridicum Itinerum auctorem posse indicare.

Postquam multum ultro citroque cogitarem, denique animo decrevi iter quoque instituere, at quod illud? præsto sunt nobis sensibus servientes fabulosæ, statisticæ, æstheticæ, prosaicæ & botanicæ Itinerum descriptiones. In argumento Italiæ & Helvetiæ tempestas partim in toto partim in parte particulares descriptiones regionum prostant. Descriptiones Manufacturarum & Commercii infinitæ, quem scopum, consilium quod, & humanæ vitæ rationis ramum quem sequar? tum mentem subit a nemine peregrinantium Cæsionem lignorum & calefactionem diversorum populorum descriptam esse; en cogitabam intentatum hætenus argumentum! sed aliud gravius incidit: fac iter Ephemeridum, expende an Novalistæ aliarum gentium æque miseri homunciones sint, ac apud nos? an sub iugo gemant, & quanto? an ad morem ruminantium animalium nova ruminent? an beate vel [contra vivant, an æstimentur? an scribant, an more nostro tantum colore paginas imbuant? an ratiocinentur, aut irrationabiliter loquantur? an eleganter albam, aut cineream deformem papyrum adhibeant, navos,

solertes prelo admoveant? an nicotianæ pulvere vel fumo utantur? an nova ipsi fabricent, an Cabinetorum penetralia assequantur; an vino, cerevisia vel aqua sitim exstinguant? an Geographiæ gnari, aut an more justorum septies per diem cadant? an acutis, aut obtusis pennis scribant? an hilari, vel mæsto vultu sint? an palinodia delectentur, gratulenturque per eam argumenta aucta esse? an apud eos etiam adjuncta incidant: quibus paginæ replendæ difficultas? an apud eos Tabernæ lusoriæ, thermopolia, Coffeariæ, Harmoniæ & Societates lectionis causa habeantur, quæ commercio Ephemeridum obsunt, quod pro omnibus eo confluentibus una solum constituatur, contra si id genus domorum non existeret, singuli nova tenerent, conducerentque, an apud eos nova eorumque scriptores, ut apud nos mendaces (salva venia) audiant? an nonnunquam nocte tota Cursum publicum opperiantur? an multa Diaria & nonnunquam caro redimant? an nonnunquam nova ex dissitis admodum regionibus, concavo utpote lunæ repetant? an mutuo se odio prosequantur, &, ut olim Ephemerides Colon. Cursorem Rhæni, insectentur & exagitent? an ut genuini aut falsi vates se exhibeant, an nonnunquam ignorent: ubi Caput consistat, ubi nihil, nihil inquam novi in hoc orbis teatro actum? an exultent, otio indulgeant absoluto opere, aut voluptate adficientur, si prolixum officiosum articulum, qualem Cursor Rhænanus frustum bubulæ non inconcinne adpellita-

bat, inserendum habeant? an denique novitatis curiosi sint?

His omnibus expensis, iter animo decretum — iter novalisticum per politicum orbem, feci adparatus, sarcinas collegi, & jam jam ingredior viam.

Sed, ut in humanis fit, cum novipetas habes familiares, adcurrit amicus, & argumentum ex helvetis novis porrigit, hunc itineris comitem obrudit, dein talia legit:

Raro de virtute, quam possidemus, sermo agitur, tanto plus qua destituimur ait Cl. Lessing. Constat: Joannem Jacobum Roussau spurius suos ad Brephotrophium misisse, nihilominus Emilia sua rem Educationis reformandi. Eum nemo in Gallia imitatus magis scriptis editis quam Clarissima Domina *Genlis*. At & hæc maternis solatiis æque, ac Roussau paternis caruit. Initium erat anni quinti octuagesimi Seculi XVII. quo Juvenis femina in Anglia sub nomine Pamela educata memoratam Genlis in palatio Regio dicto adibat. Paullopost alia itidem puella sub nomine Herminæ comparuit, & Ecce! filiae erant venerabilis Genlis, quas illa sub poetica nominatione in Anglia educendas & educandas curavit. Utraque proles mature matri subtractæ, semper adusque persuasæ erant, se fore orphanas. Decenter elocatæ, & ut ferebatur, bene educatæ erant; at poterantne duæ hæc feminae germano in paradoxam suam matrem duci amore? Constat Illustrem hanc matronam educatricem in domo Ducis Chartres postea Aurelianensis fuisse.

His demum expeditus iter ingrediendum decrevi, at alter bonus amicus nuncium attulit, Petropoli de 5. Nov. ad iter accipiendum sequentis argumenti:

„Gen. Adjutor Princeps Dolgoruky, qui nuper Gen. Gen. Locumtenens Imperatoris creatus est, occasione perspeculationis situs hostis in Finnia trajectus est.

Induciæ, quas Svecicus Generalis D. Klin-spor cum Gen. Duce Russico Buxhövden ad tempus indefinitum pepigit, edictæ sunt, bellum continuatur, quod Imperator compererit: a Gen. Duce Svecico stationem, quam Induciis præfixit, ad Taivolam propositam esse, jam ante a Russis occupatam.

Dixi *Vade mecum!* equidem itineror. Cum eoce tibi e Gallia Cursor *quintum* adferens *Diarium* ex Hispaniis — ergo & hoc *vade mecum!* excerptum sic sonat:

Parisiis die 24. Nov. Monitor hodiernus continet *quintum* ex Hispania *Diarium*.

Burgis die 16. Nov. Sors exercitus *Extremæ terræ* (*Extremaduræ*) decisa est.

Copiæ Gallæcianæ, præliis ad Durango, Guenes, Valmacedam cæssæ, acie ad Espinosam attritæ aut dispersæ sunt. (his adcluditur in Diario: quibus, copiis hic exercitus constitit, operationes gallicoani exercitus adversus eum, quarum resultatam adfertur) 60 machinæ bellicæ occupatæ, 20000 cæsi aut capti, reliquiæ dissipatæ, 12 hispanici Duces occisi, quævis subsidiaria arma, commeatus, vestiaria supellex ab Anglis navibus advecta

in manus nostras pervenit. Terror invasit hisp. melitem, rubrum thoracem abjicit, cum tesaera Regis Angliæ, anglicanum sclopum, speculum, qua se abdat, quærit, aut in villis Colorum sub rustica veste occultare nititur.

Blake salutem quærit errans in saltu Asturiæ, la Romana cum aliquot millibus in oram S. Andreae se recepit.

Interea jactura nostra exiguae est considerationis. In præliis ad Durango, Guenes, Valem Macedam, Espinosam 80 non amplius caesorum, 300 vulneratorum censuimus, in quibus nullus memorabilis, sclopi 30000 contracti totidem in penu Reyno æ adprehensæ.

Sua Maj. Ducem agminis Pæthod Generalem Cohortis ducem creavit, denaque honorariæ legionis Insignia 94 & 95. lineali & 16 levi pedestri legioni contulit.

Sed jam serio itineror, 1. 2. 3. 4. 5. 6. ita sane sex passus intra minutum secundum! ad iter a mensa lucubratoria, ad lectum. Iter ergo hodie absolutum est! Svavia somnia! —

Turcia.

Magnus Vezirius omnia egit ut exercitum ad Danubium firmiorem reddat. Continuo desiderio ducitur: Moldaviam & Valachiam ab exteris copiis liberatam videndi, an id per tractationes, aut fortassis bellum impetrandum? varii varia.

Idem jussus Præfectum rei maritimæ *Bachi* capite truncandum curare. Vir hic omnis innovationis acer hostis erat, omnia ad pristinum statum revocare admissus, intus & in

cute Muselmannus erat in quibusvis actionibus. Ejus nex in animos omnium Turcarum egit, in metropole tristem fecit impressionem; Major admiratio incessit comperto: Præfectum Dardanellarum arcium munere orbatum exilioque multatum. Ei suffectus Rakib emolumentum Portæ studiosus videtur.

Procreatio lanæ hoc anno admodum larga fuit, Cultura quoque ejus aucta est.

Vindobona 23. Quotidie læti adventant nuntii de felici recuperatione valetudinis Majestatis Imperatricis. Plena convalescentia tempore egebit, ut læti hilaresque nunc sunt vultus!

Constantinopoli hæc Ephem. Vindob. præcipuâ continent. „Mustapha Bairactar omne in re militari Turcicâ adeo stricte custoditum religionum discrimen abolevit. Turcæ æque ac Græci sub eodem vexillo militant. Jam Rudschukii Mustapha multos exoticos legionibus optimis suis immiscuit, & 12. Oct. ejus familiaris & argentarius solennem ingressum habuit, comitibus 60 viris de exercitu, omnibus Armenis.

Ad Classem instruendam M. Vezirius medio Octobris frequentes nautas & piscatores e territorio metropoleos pro navali servitio deligi jussit.

Vetus Janisarorum agmen in dies deficit. M. Vezirius nuper admodum duos ex eo adversarios Nizami Gedid decapitandos curavit. Dum unus eorum Kahvegi Oglu Mustapha occasione suæ comprehensionis præsi-

dium 25. legionis Janitsarorum, ad quam pertinebat, imploraret, Mustapha confestim eum concidi præcepit, tum ei, infelicibusque comitibus capita per Carnificem amputata.

B I O G R A P H I A.

Kæmpfer (Angelbrechtus) celeberrimus Doctor Medicinæ natus 16. Sept. 1651. Lemgovilæ Vestphalorum patre Pastore. Abolutis in diversis Germaniæ & Poloniæ Universitatibus studiis Sveciam petiit. Luerosis admodum conditionibus ibi invitatus, at singulari itinerandi animo motus maluit ut Secretarius cum legato Svecico Ludov. Fabricius Persiam petere, & 1684 Isbahanum adpulit. Sequenti, in vicem reditus cum Fabricio seu primarius Chirurgus Classis Societati Ind. Orient. se addixit. Indiam profectus Siamum & Japoniam lustravit, 693. Europam repetiit. Tum Leodii Doctoris laurea decoratus lares revisit, ibique ut Proto-medicus C. a Lippe Dinastæ sui die 2. Nov. 1716 obiit. Præcipua ejus opera: *Amoenitates exoticæ* opus memorabilia utliæque argumenta tam in physica quam politica historia regionum, quas peragravit continet. *Herbarium Gangeticum. Descriptio Japoniæ*; hæc historia memorabilis est, & æstimatur. Joannes Casp. Scheuchzer in Anglicum vertit ex hoc gallice traducta. Versio gallica Hagæ 1729. in duobus tomis in forma foliata iconibus æri incisis prodiit. Prostat quoque ab eo descriptio aliorum itinerum, quæ per Moscoviam, Persiam, & Indias orientales confecerat.